

11. D. C. Hornelij Repetitio doctrinae verae de necessitate B. O. seu studij pietatis, si quis saluus per Christum esse velit, et innox eius vindicia.
12. D. Balth. Cellarij disput. Theol. de Ecclesia & Bona
13. D. Cellarij disp. Theol. de Republica Spiritualij seu Ecclesia. & Scholae A. 2. 2.
14. D. Cellarij de Primatu Romanj Pontificis & Haereticanarum & Lic.
15. D. Cellarij de Cultu S. Virginis Mariae apud Pontificios pro gradu.
16. D. Gedroij Calixti disp. de Religiosa adoratione. & Cale.
17. Christ. Schraderj disp. de Lingua Sancta & Propheta
18. Barth. Nihusij Epistola de primo principio Theolo- gico ad A. Gedroij Calixtum.
19. D. G. Calixti Programma ad S. Th. Stud. & Nihusium.
20. D. I. Hülsemanni Extensio breviarij Theologici exhibens precipuas et recensiores Christianae fidei controversias.
21. F. Hommij Specimen Controversiarum Belgi- carum seu Confessio Ecclesiarum Reformatarum in Belgio, cuius singulis articulis subijuncti sunt articuli discrepantes ex H. Haemoria Synodum Belgicarum.
22. Conradj Vorstij S. J. D. Apologetica Responsio ad ea omnia quae F. Hommij nuper edidit in libro cui titulu Specimen Controversiarum Belgicarum. etc.
21. Optima fides F. Hommij in libro cui tit. Specimen Controversiarum Belgicarum.
22. Sancti Philastrii Episcopi Brixienis Haeresium penè omnium quae à condito orbe a Philastrii usq; seculum exorta fuerant quorum CLVI recenset Catalogus cum indice.
23. D. C. Hornelij disp. Metaph. de distinctione, & Jellery



DISSERTATIONVM THEOLO-
GICARVM DECIMA

De

POENITENTIA
LAPSORVM.

SECTIO I.

An fidelis & iustificatus gra-
tia Dei excidere & per pœnitentiam
in eam restitui possit.

QVAM

DIVINO NUMINE ADSPIRANTE,

PRÆSIDE

CONRADO HORNEIO
S. THEOL. DOCTORE ET IN
ILL. ACAD. IVLIA PROFESSORE
ORDINARIO,

PRID. EID. DECEMBR.

PVBLICE DEFENDET

ALBERTVS REIMARVS
LVBECENSIS.

*Valentini Bernh.
Mylus.*

HELMÆSTADI,

Excudit HENNINGVS MULLERVS Acad. typ.

ANNO MDCC XL.



DISSERTATIONVM THEOLO-
GICARVM DECIMA

POENITENTIA
LAPSORVM

TRACTIO I

An fidelis & iustificatus gra-
tia Dei excludere & per penitentiam
in carcerem possit

QVAE

DIVINO NUMINE ADSPIRANTE

PERSEVERA

CONRADO HORNELIO
S. THEOL. DOCTOR ET IN
ILL. ACAD. IVLIA PROFESSORE
ORDINARIO

Pub. Fid. Decembar.

PUBLICE DEFENDET

ALBERTVS REIMARVS
LVBECENSIS

Helmstadt

Excudit Henricus Meibnerus Acad. typ.

Anno MDCCXXI




DISSERTATIONVM THEOLOGICI-
CARVM DECIMÆ,

De
PŒNITENTIA
LAPSORVM,

SECTIO I.

*An fidelis & iustificatus gratia Dei excide-
re & per pœnitentiam in eam resti-
tui possit.*

THESIS I.

 Vomodo per fidem in Chri-
stum non iustificemur tantum, i. e. Deo
reconciliemur, & filij ejus ac hæredes
vitæ æternæ constituamur, sed sanctifi-
cemur quoque ac renovemur, ut non
amplius cupiditatibus hominum, sed
voluntati Dei quod in carne reliquum est temporis
vivamus, & quàm hoc necessarium omnibus sit, qui
salvi esse & hæreditatem illam promissam adipisci
cupiunt, supra copiosè exposuimus. Iam id porrò
considerandum est, si ij, qui semel in gratiam à Deo
recepti sunt, ea rursus excidant, an adhuc in statum
illum reponi possint, necne, & si possint, quomodo
id fiat. Estque hæc doctrina de pœnitentia seu resi-
piscencia lapsorum. Dico lapsorum: nam duplex in
universum pœnitentia sive resipiscencia est, una eo-
rum qui primùm ad fidem convertuntur, baptizan-
tur & Christiani fiunt, altera eorum, qui cum Chri-

stiani jam facti & baptizati essent prolapsi sunt, & ex
statu gratiæ exciderunt. Priori modo passim in scri-
pturis accipitur. Marci i. 18. Resipiscite, & credite evan-
gelio. Matth. iii. 2. Resipiscite, appropinquavit enim re-
gnum cælorum Luc. v. 32. Non veni vocatum iustos, sed pec-
catores ad resipiscentiam. Act. ii. 38. Resipiscite, & bap-
tizetur unusquisque vestrum in nomen Iesu Christi, in remissio-
nem peccatorum. Unde & Iohannes baptista Christi
præcurfor prædicasse dicitur baptismum resipiscentiæ,
Luc. iii. 3. Veni in omnem regionem circumiacentem Iorda-
ni, prædicans baptismum resipiscentiæ ad remissionem pecca-
torum. Et Hebr. vi. 1. scriptum est: Quapropter omisso
qui in Christo rudes inchoat sermone, ad perfectionem fera-
mur, non jacentes rursum fundamentum resipiscentiæ ab o-
peribus mortuis & fidei in Deum. Posteriori modo capi-
tur II. Corinth. vii. 9. Nunc gaudeo, non quod contristati
fueritis, sed quod contristati fueritis ad resipiscentiam. Et
rursus: Nam quæ secundum Deum est tristitia, ea resipiscen-
tiam efficit ad salutem, cuius nunquam pœniteat. Et Apoc.
ii. 4. Sed (hoc) habeo adversum te, quod charitatem tuam
primam amiseris. Memor esto itaque unde excideris, &
resipisce, & priora opera facito: sin minus, veniam adversum
te cito, & movebo candelabrum tuum à loco suo, nisi resipue-
ris. Sed de pœnitentia seu resipiscentia priori sensu
suprà actum satis fuit: nunc de posteriori illa sermo
est.

II. Antequam autem ostendamus quid ea sit,
& quomodo per eam lapsi denuò reconcilientur, &
in statum gratiæ restituantur, primò hîc videndum
est, an etiam pœnitentia & reconciliatio talis detur:
nam si fideles & in Dei gratiam semel receptos vel
nunquam deficere, seu fide ac gratia illa excidere pos-
se sta-

se statuas, vel excidere quidem & prolabi posse, sed
 tum nullam amplius spem reconciliationis eis restare,
 frustra de pœnitentia lapsorum disputatur, cum nul-
 lus ei locus sit. Et prius quidem illud difertè docet
 Ioan. Calvinus, cum comment. in Matth. XIII. 20.
 scribit: *Ut nunquam extinguatur spiritus ille, ita & fidem,*
quam semel insculpsit piorum cordibus, evanescere & perire
impossibile est. Et in cap. XXIV. 24. *Possibile non est pios à*
salute excidere, cujus fidelis custos est Filius Dei. Comment.
 in c. VI. 5. epist. ad Hebr. *Electi sunt extra exitialis lapsus*
periculum. Et lib. III. instit. cap. XXIV. n. 6. *Ex quo elici-*
mus, inquit, extra periculum defectionis esse (electos,)
quia eorum pietati constantiam postulans Filius Dei repulsam
passus non est. Beza libello Christian. qq. & resp. *Quast. Quast.*
Nunquamne igitur censes spiritum adoptionis excui? Resp. *antep.*
tur erumpi interdum fateor in gravibus tentationibus spiri-
tum, atque adeò sic nonnunquam illius in nobis habitantis testi-
monia sopiri, ut ad tempus penitus à nobis demigrasse videa-
tur, sed nunquam tamen penitus eripi dico. Ioan. Piscator
 resp. ad duplicem Vorstij: *Impossibile est, ut verè cre-*
dentibus à fide deficiant, obstante Dei decreto & fœderali pro-
missione. Et rursus: *Fideles ne volentes quidem fidem pos-*
sunt amittere, obstante scilicet absoluto & efficaci Dei decre-
to. Guilielmus Perkinus in explic. ad artic. de eccles.
 cathol. *Opinionem autem eorum quod attinet, qui electos ex*
gratia excidere & perire posse aiunt, plena stygia ea est & in-
fernalis incredulitatis, atque à diabolo haud dubiè profecta.
 Et Rennecherus in catena cap. XXVII. *Quos Deus semel*
peccato & reatu obdito in gratiam recepit, illos ut iustos in
gratia sua conservat, ita ut propter nulla peccata, quippe quæ
in illis sunt & manent condonata, ex gratia excidere & pe-
rire possint. Hæc illi, quæ si admittantur, inanis est o-

mnis de pœnitentia quæstio: nã si fideles nec à fide pro-
labi, nec è statu gratiæ per peccata sua excidere possunt,
nulla pœnitentia indigent, qua in eum restituantur.

III. Sed hæc S. scripturæ prorsus contraria, ab-
surda & impia sunt: tam expressè enim illa testatur, fi-
deles & justos à fide ac justitia sua deficere posse, ut
nullum ea de re dubitandi locum relinquat. Audia-
tur hîc primò ex V. T. Ezechiel c. xviii. 24. *Cùm aver-
rens se iustus, inquit, à justitia sua fecit iniquitatem, secun-
dum omnes abominaciones, quas fecerit improbus, facit, hi-
cine viveret? Omnia justè facta ejus qua fecerit non com-
memorabuntur, propter pravaricationem ipsius, qua prava-
ricatur, & propter peccatum ipsius, quo peccat, propter hæc mo-
rietur. Et iterum: Cùm avertit se justus à justitia sua, &
faciens iniquitatem moritur in illis (vijs suis,) propter ini-
quitatem suam, quam facit, moritur.* Nec dicere licet,
propositiones istas hypotheticas tantùm esse, ac pro-
inde non magis id ponere, justum à justitia sua defi-
cere posse, quàm illo Psalmi cxxxix. 8. *Si scandero cœ-
los, illic es, vel illo Hobadiæ 4. Si exaltaveris te velut aquila,
& si inter stellas posueris nidum tuum, inde deiciam te,*
dictum Domini, vel illo denique ad Galat. i. 8. Etiam si
*nos aut angelus è cœlo evangelizet vobis præter id quod vo-
bis evangelizavimus, anathema esto, adseritur, hominem*
cœlos scandere, aut ut aquilam in altum subvolare, vel
angelum aliquem aut Paulum aliud aliquod evange-
lium prædicare posse, quàm quod ipse Paulus antea
annunciarat: nec enim verba illa Ezechielis hypothe-
thetica sed categorica sunt, nec aliter in Hebræo aut
Græco expressa, quamvis antiquus interpres formâ
hypothetica extrulerit. Cùm avertens se justus, inquit,
à justitia sua facit iniquitatem hicine viveret? id est, æ-
quum

quumne est ut vivat? seu vivere non debet. Item: Cum avertit se justus à justitiâ sua & faciens iniquitatem moritur in vijs suis, propter iniquitatem suam moritur, id est, suo merito damnatur. Item: Omnia justè facta ejus non commemorabuntur, sed propter prævaricationem & peccatum suum morietur. Quin toto illo capite Dominus non tam id docet, quid futurum sit, si vel injustus ab injustitia sua ad justitiam convertatur, vel contrâ justus à justitiâ ad injustitiam desciscat, quam istud, quidquid utrisque ipse hæcenus eo nomine fecerit & porro facturus sit, id non iniquum sed æquum prorsus esse, nec eo pacto liberos propter parentum & aliena peccata, ut Israëlitaë conquirebantur, sed propter sua & propria puniri. Huc accedit, quod etsi propositiones hypotheticæ simpliciter & in se spectatæ nihil necessariò ponunt; tamen cum præcepta seu leges vivendi continent pro conditione materiæ omninò id supponant quod fieri vel solet vel saltem potest, cum alioqui absurdæ sint.

IV. Deinde & in N. T. Christus ipse expresse docet fideles à fide deficere posse & sæpè deficere. Matth. XIII. 20. *Qui super petrosa, inquit, seminatus est, is est qui sermonem audit, & eum statim cum gaudio excipit: non habet autem radicem in sese, sed temporarius est, ortaq; afflictione vel persecutione propter sermonem, statim offenditur.* Et Luc. VIII. 13. *Qui autem super petram (seminati sunt,) hi sunt, qui cum audierint eum gaudio recipiunt sermonem: & hi radicem non habent, qui ad tempus credunt & tempore tentationis, desistunt.* Quid clarius dici poterat? Cum, gaudio, inquit, excipiunt sermonem sed temporarij in fide sunt, ad tempus credunt & postea desistunt. Idem inculcat Paulus ad Rom. XI. 9. his

his verbis: Dices igitur, defrañti sunt rami (Iudæi,) ~~ut~~
ego insereret. Bene: per incredulitatem defrañti sunt, tu ve-
ro per fidem stas: ne effertor animo, sed metue: nam si Deus na-
turalibus ramis non pepercit, vide ne tibi quoque non parcat.
Vide igitur benignitatem ac precisam severitatem Dei, in eos
quidem qui ceciderunt precisam severitatem; in te verò be-
nignitatem, si permanseris in benignitate, alioquin & tu ex-
cidèris. Et ad Hebr. vi. 4. Fieri non potest, ait, ut qui se-
mel fuerint illuminati, gustaverintq; donum illud cœlestē &
participes facti fuerint Spiritus Sancti, gustaverintq; bonum
Dei verbum ac virtutes futuri sæculi, si prolabantur, denuò
renoveniur ad resipiscentiã, ut qui rursus crucifigant sibi
Filiũ Dei & ignominia exponant: nam terra quæ imbrem
sapius in se venientem combiberit & progenuerit herbam ac-
commodam ijs per quos excolitur, particeps fit benedictionis à
Deo: at quæ profert spinas & tribulos, rejecta nec est & ma-
ledictioni proxima, cuius exitus tendit ad exustionem. Sed
nobis persuasimus de vobis, dilecti, quæ meliora sunt & saluti
adherentia, etiam si ita loquamur: non enim injustus est Deus,
ut obliviscatur operis vestri & laboriosa caritatis quam ostē-
distis erga ipsius nomen &c. Et notetur, quæ de causã hæc
omnia dicat, nempe ut Hebræi subinde ad perfectio-
nem ferantur & idem studium ad finem usque osten-
dant: nam ita initium capitis habet: Quapropter omis-
so qui in Christo rudes inchoat sermone, ad perfectiõnem fera-
mur, non jacentes rursus fundamentum resipiscentiæ ab ope-
ribus mortuis & fidei in Deum &c. Atque id faciemus, (quo-
modo ad perfectiõnem ferri oporteat docebimus,)
si quidem permiserit Deus: nam fieri non potest ut qui semel
fuerint illuminati &c. Et post verba supra allegata addit:
Cupimus autem ut unusquisque vestrum idem studium ad fi-
nem usque ostendat, ad certam spei persuasionem, ut ne sitis se-
gnes

gnes, sed imitatores eorum, qui per fidem & patientem ani-
mum hereditario jure obtinent promissionem. Ideò ergò
ostendit, quàm difficile sit, denuò eos ad resipiscenti-
am renovari, qui à fide & gratia semel accepta defi-
ciunt, ut eò majori studio defectionem illam evitent,
adeoque eam non impossibilem sed possibilem imò
facilem esse supponit: nam aliàs frustrà rem istam
tantoperè exaggeret. Nec semel hoc tantùm sed
sapiùs una eademque epistola inculcat: nam ita rur-
sus cap. x. 23. *Retineamus*, inquit, *professionem spei non*
vacillantem, (*fidelis enim est qui promisit*,) & *observemus*
alijs alios, ut nos acuamus ad caritatem & bona opera, non de-
serentes aggregationem nostri mutuam, sicuti mos est quibus-
dam, sed adhortantes alijs alios, idq; eò magis quod videris il-
lum diem appropinquare: nam si ultro peccaverimus post acce-
ptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua
est hostia, sed horrenda quedam expectatio judicij & ignis
fervor, qui devoraturus est adversarios. Qui aspernatus
fuerit Mosis legem absque misericordia ex duorum aut trium
testimonio moritur: Quanto, putatis, acerbiorè supplicio di-
gnus censebitur qui Filium Dei conculcarit, & sanguinem
fœderis, per quem fuerat sanctificatus, profanum duxerit,
& Spiritum gratia contumelià affecerit? Et cap. xii. 12. ait:
Quapropter manus remissas & genua soluta surrigite, & re-
ctas orbitas facite pedibus vestris, ne quod claudum est defle-
at de via, sed ut sanetur potius; Pacem seòt amini cum omni-
bis & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum, Pro-
spicientes ne quis deficiat à gratia Dei, ne qua radix amara
suppullulans obcurbet, & per hanc polluantur multi; Ne quis
sit scortator aut profanus, velut Esau, qui unico edulio ven-
didit suum jus primogeniti: scitis enim eum etiam postea,
quum vellet hereditario jure benedictionem assequi, reproba-

tum fuisse: non enim reperit penitentia locum, quamvis cum lacrimis (benedictionem) illam exquisivisset. Hæc rursus Paullus. Vbi ipse Calvinus ad verba illa commatis xv. Curam agentes, seu, prospicientes, ne quis deficiat à gratia, ita commentatur: His verbis indicat, inquit, proclivem esse lapsum à Dei gratia: neque enim frustra attentionem requirit in hac parte, quia simul atque securos esse aut remissos videt Satan, momento nos circumvenit. Denique contentione & vigilantia opus est, si velimus perseverare in Dei gratia.

V. S. Paulo prorsus assentitur B. Petrus II. ep. c. II. 18. Quæ pratumida, inquit, vanitas ipsis (seductoribus) dictavit loquentes inescant eos per carnis cupiditates lascivas, qui verè effugerant ab ijs qui in errore versantur, libertatem eis pollicentes, cum ipsi servi sint corruptelæ. — Nam si postquam pollutiones mundi per agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi effugerint, his rursus implicati superentur, facta est ultima eorum conditio deterior priore: melius enim fuisset eis, non cognovisse viam justitiæ, quam cognita illa regredi à sancto præcepto sibi tradito. Sed accidit eis quod vero proverbio dici solet: Canis reversus est ad suum ipsius vomitum, & Sus lota ad volutabrum cani. His addatur locus Apocal. II. 4. supra citatus: Sed habeo (hoc) adversum te, quod caritatem tuam primam omiseris. Memor esto itaque unde excideris & respisce, & priora opera facito: sin minus, veniam adversum te cito, & movebo candelabrum tuum à loco suo, nisi respueris. Ita apertè S. Scriptura testatur eos, qui credunt & per fidem justificati sunt à fide & gratia deficere posse.

VI. Tertiò probatur id exemplis. Certè David erat vir secundum cor Dei, sicut eum vocat Samuel I. Samuel. XIII. 14. & observabat præcepta ejus, & sequebatur eum ex toto animo, faciendo tantummodo quod rectum vide-

videtur in oculis eius, ut ipse Dominus testatur 1. Reg. xiv. 8. Et tamen in adulterium ac homicidium incidit, sicut ex II. Samuel. xi. constat, peccata tam grandia, de quibus Paullus inquit, *predico vobis, prout etiam predixi, eos qui talia agunt regni Dei non fore heredes, Galat. v. 10.* Gratia igitur Dei excidit, qui fidelis & justus præ plurimis alijs erat, æternum etiam periturus, nisi pœnitentiam egisset. Sed & Salomon filius ejus, cui Dominus bis apparuerat, cum inclinasset animum ejus mulieres alienigenæ, in senectute suâ à Deo defecit & in idololatriam prolapsus est, 1. Reg. xi. Est autem etiam idololatria crimen, si quod aliud, capitale & exitiale, juxta illud 1. Corinth. vi. 9. *Ne errate, neque scortatores, neque idololatra — regni Dei hereditatem possidebunt.* Multò plura exempla in N. T. adfert Paullus, ut Hymenæi & Alexandri, 1. Timoth. i. 19. *Retine, inquit, fidem & bonam conscientiam, qua expulsa nonnulli naufragium fidei fecerunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, ut castigati discerent non blasphemare, Hymenæi itē & Phileti* II. Timoth. II. 17. *Sermo eorum, ait, depascet ut gangræna, ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui circa veritatem aberrarunt à scopo, dicentes resurrectionem iam factam esse, & subvertunt quorundam fidem, & Demæ* II. Timoth. ult. 10. *Stude mox ad me venire: nam Demas me deseruit, amore inductus presentis seculi.* Fideles etiam mulieres illæ fuerant, de quibus 1. Timoth. v. 15. dicit: *Iam enim nonnullæ deflexerunt, sequuta Satanam.* Et cap. iv. 1. ait: *Spiritus diserte dicit, fore ut posterioribus temporibus desciscant quidam à fide, attenti spiritibus deceptoribus ac doctrinis demoniorum.* Quàm manifestò igitur Scripturis id adversetur, si quis eos qui semel crediderunt & per fidem justifica-

ei sunt, à fide & gratia Dei deficere non posse asserat,
ita patet.

VII. Nec minus absurda & impia est hæc per-
suasio; absurda quidem: nam quorsum aliàs Scriptu-
ra nos toties cohortetur, ne deficiamus à fide & gratia
Dei, sed operam demus, ut stabiles in utraque perma-
neamus? quorsum item ijs æternam salutem promit-
tat qui id faciunt, & contrà exitium comminetur il-
lis qui prolapsi fuerint? Certe frustra id omne sit, si
excidere gratia nemo potest qui semel in eam rece-
ptus fuit. At frustra cohortationes promissiones &
comminationes illas institui, quarum tota Scriptura
plena est, absurdum est. Ergò & illa persuasio. *Qui
videtur sibi stare*, inquit Apostolus I. Corinth. x. 12.
videat ne cadat. Et cap. xv. 58. *Itaque fratres mei dilecti,
stabiles estare, immoti, eminentes in opere Domini semper, cum
scitis laborem vestrum non esse inanem in Domino.* Cap. ult.
13. *Vigilate, perstare in fide, viriliter agite, estote fortes.* Et
II. ad Corinth. vi. 1. *Horramur, ne frustra gratiam Dei re-
ceperitis.* Philipp. ii. 12. *Cum timore ac tremore vestram
ipsorum salutem conficite.* Hebr. iii. 12. *Videte, fratres, ne-
quando sit in ullo vestrum cor malum, incredulum, desiscendo
à Deo vivo, sed exhortamini alij alios quotidie, quoad appel-
latur dies hodiernus, ne quis ex vobis inducatur seductione
peccati. Christi enim consortes facti sumus, si modò principi-
mus illud, quo sustentamur, firmum retinuerimus ad finem usque.*
Et cap. x. 33. *Ne igitur abicite liberam illam professionem ve-
stram, qua magnam habet pramii retributionem: nam tole-
rantia vobis opus est, ut voluntari Dei obsequi reportetis
promissionem illam: adhuc enim pusillum quantulumcung
& qui venturus est veniet, neque tardabit. Iustus autem ex
fide vivet. At si quis se subduxerit, non probat eum animus
meus*

*meus. Matth. xxiv. 11. Multi pseudoprophetae exorientur ac
seducent multos, & quoniam multiplicata erit iniquitas, re-
frigescet caritas multorum. Sed qui substiterit ad finem usque
servabitur. Apocal. 11. 10. Esto fidelis usque ad mortem, & da-
bo tibi coronam vitæ. Qui habet aurem audiat quid Spiritus
dicat ecclesiis, qui vicerit nequaquam ledetur à morte secun-
da. Et cap. 111. 11. Ecce venio cito, retine quod habes, ut ne-
mo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam ut is sit co-
lumna in templo Dei mei.* Hæ ergo & his similes innu-
meræ aliæ cohortationes, comminationes & promif-
siones frustra sint, si fideles & iusti excidere fide &
iustitia sua non possunt. Et ita absurditas ejus sen-
tentia patet.

VIII. Eadem autem impia est, quia latam fene-
stram securitati & impietati aperit: quisquis enim
id sibi persuaserit, se, cum semel per fidem justificatus
est, nec à fide illa deficere, nec iustitia & Dei gratia ex-
cidere posse, nullam ille operam, nullum studium in
vitandis falsis doctrinis aut peccatis quibuscunque
deinceps ponet: nec enim ne aut in infidelitatem re-
labatur aut in hæresin incidat timeret, quia impossibi-
le id esse censet, & quantum vis etiam enormia pecca-
ta committat, illis tamen nec Deum offendi, nec gra-
tiam ejus excuti, vel salutem deperdi existimat, quip-
pe quæ non ab infideli sed fidei fiant, imò eo ipso quo
à tali patrantur, jam condonata sint, & quæ mortalia
aliàs & exitialia crimina erant, ilicò in venialia & hu-
manas imbecillitates degenerent, qua insania nulla
major esse potest: Certè fideles erant & per fidem
justificati ij, quibus hoc Paullus ad Rom. viii. 13. occi-
nit: *Si secundum carnem vixeritis, futurum est ut moriamini;
sed si spiritu actiones corporis mortificaveritis, vivetis.* Et r.

Corinth. VI. 9. An ignoratis injustos non esse Dei hereditatem possessuros? Ne errate, neque scortatores, neque idololatrae, neque mæchi, neque molles, neque qui concumbunt cum masculis, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque conviviatores, neque rapaces, regni Dei hereditatem possidebunt. Et cap. x. 7. Ne igitur idololatra estote, sicut quidam eorum, ut scriptum est: Sedit populus ad edendum ac bibendum & surrexerunt ad ludendum; Neque scortemur, sicut quidam eorum scortati sunt & ceciderunt uno die viginti tria millia, Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt & à serpentibus perierunt, Neque murmurate, sicut quidam eorum murmurarunt & perierunt à dispersore. Hac verò omnia typicè evenerunt eis: scripta verò sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum devenerunt. Itaque qui sibi videtur stare, videat ne cadat. Et ad Galat v. 13. Vos ad libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem (arripite ut datam) carni occasionem, sed ex charitate servite alijs alijs. — Hoc autem dico, spiritu ambulate & quod concupiscit caro ne perficite: nam caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. — Porro manifesta sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, scortatio, impuritas, lascivia, idololatria, veneficium, inimicitia, lites, emulationes, excandescencia, rixæ, dissidia, hereses, invidia, cades, ebrietates, comestationes & his similia, quæ prædico vobis, prout etiam prædixi, eos (videlicet) qui talia agunt, regni Dei non fore heredes. Et cap. vi. 7. Ne errate, Deus non irridetur: quicquid enim seminaverit homo hoc & metet: nam qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum: qui verò seminat spiritui, ex spiritu metet vitam aternam. Plura loca non cocervabimus: nam passim occurrunt. Id tantum addimus. Ipse Apostolus, electum illud Christi instrumentum, ut portaret nomen ejus in conspectum gentium & Regum & filiorum Israël, cui

et, cui toties Dominus apparuerat, qui in tertium usque caelum & paradysum ipsum raptus *audiverat ineffabilia verba, quae non licet homini loqui*, non ex promiscua fidelium turba sed magnus gentium doctor erat, nihil quidquam summis Apostolis inferior: & tamen *contundere se corpus suum & in servitutem redigere dicit, ne quo modo, cum alijs predicaret, ipse rejectaneus fiat*, i. ad Corinth. ix. ult. Quamergo facile gratia Dei & aeterna salute fideles & iusti per peccata excidant, ita manifestum est.

IX. Nec obstat i. illud Christi Ioan. x. 27. *Oves meae vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me, & ego vitam aeternam do eis, nec peribunt in aeternum, neque rapiet eas quisquam e manu mea; Pater meus, qui mihi dedit eas, major omnibus est: neque quisquam potest eas eripere e manu Patris mei, ego & Pater unum sumus*: non enim ibi de omnibus fidelibus & iustis, sed de ijs tantum qui in fide & iustitia perseverant, vel si exciderint, in tempore resipiscunt, sermo est. Dicitur etiam oves illas, dum vocem Christi audiunt, ipsumque sequuntur, nulla Diaboli vel mundi potentia, nulla adversitatum vi e manu, id est, protectione ejus eripi posse, ne utiquam autem, eas nec, si velint, ultrò a Christo desciscere & ipso ejusque praesidio spreto sponte se vicissim in potestatem diaboli tradere posse: nam haec multum differunt, cum longè aliud sit vi e propugnaculo aliquo deturbari, & ultrò inde exire, suaque lubricine ac temeritate in manus hostium venire, sicut omnes illi in potestatem diaboli recidunt, qui post fidem & gratiam Dei semel receptam ultrò & contra conscientiam peccant.

X. 2. Nec majorem difficultatem habet locus
ille

ille 1. Ioan. III. 9. *Quisquis natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, eò quod ex Deo natus est: et si enim id dicere videtur, eos qui per fidem semel renati sunt in peccata mortalia prolabi amplius non posse, quod Dei Spiritus in eis maneat: non tamen de ijs absolute loquitur, sed quatenus sunt tales & ductum supernæ illius nativitatis sequuntur. Unde neque hic verborum illorum sensus est, renatum, etiam si velit, à divinæ illius nativitatis excellentia desciscere non posse, sed hic tantum, ipsum ex ea hanc mentem animumq; trahere, ut peccata omnia cane & angue pejus fugiat, nec de industria eis denuò implicetur, imò ut ne possit id quidem: Dei enim gratiam, per quam tam mirabiliter renatus est, quamdiu quidem novæ illius & tam altæ originis ipse non obliviscitur, nunquam eum destituere, sed quem initio genuit, deinceps etiam & ad finem usque ita adjuvare & regere, ut nihil sciens volens tantis natalibus indignum perpetret. Sic vulgo etiam eos qui regio sanguine orti sunt turpia non patrare dicimus: indole enim regia præditos esse, imò non posse eos ad tantam vilitatem se abicere, ideo quod tam alto loco orti sint, non certe quod simpliciter id facere nequeant, (quod nimis sæpè aliàs accidit;) sed quod, dum ultrò & fædè ab origine sua non degenerant, in tam sordidum flagitiorum lutum provolvi scientes & volentes non possint.*

XI. 3. *Objici solet, fideles ex semine incorruptibili regenitos esse, adeoq; nec fidem, per quam regeniti sunt, amittere, nec nativitatis illius dignitatem deperdere posse; nam ita 1. Petr. 1. 23. scriptum est: Regeniti non ex semine corruptibili sed incorruptibili, per*
alli sermo-

sermonem Dei vivi & manentis in aeternum. Sed facile ad id etiam respondetur, & primò quidem non hîc fidem ipsam, aut gratiam quæ nobis per fidē obtingit, sed Dei sermonem seu verbum incorruptibile vocari, idque propterea quod veritas verbi illius æterna & immutabilis sit, sicut statim additur: *Nam omnis caro est ut gramen, & omnis gloria hominis ut flos graminis; exaruit gramen & flos ejus decidit, sed verbum Domini manet in aeternum.* Hoc autem est verbum illud quod evangelizarum est vobis. Deinde verbum illud semen incorruptibile dicitur, quia incorruptibilitatis causa est ijs qui per id renascuntur: ad æternam enim vitam eos deducit, si modo in verbo illo permaneant: nam multi, etiam qui cum gaudio illud exceperant, ad tempus tantum credunt & tempore tentationis desistunt, ut suprâ Salvator ipse affirmabat. Ut ergo verbum illud, per quod renati sunt, incorruptibile sit & semper maneat, ad immortalitatem item atque incorruptibilitatem omnes regeneret, qui ei crediderint: non tamen incorruptibilitatem illam ij consequuntur, qui ad tempus tantum verbo credunt & postea deficiunt, sed qui in fide stabiles & immoti ad finem usque persistunt.

XII. 4. Objicitur locus i. Ioan. ii. 19. *E nobis egressi sunt, (antichristi,) sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum: sed (egressi sunt ex nobis) ut manifestum fieret, non omnes esse ex nobis:* dici enim videtur, eos qui semel verè crediderint & membra ecclesiæ facti fuerint, à fide & gratia Dei deficere amplius non posse. Resp. E nobis egressi sunt, inquit Apostolus, id est, fidem eandem quondam nobiscum professi sunt; sed non erant ex nobis,

C id est,

id est, non tales quales nos sumus, qui non vel simu-
lamus tantum fidem, vel ad tempus solum credimus,
sed in fide constanter perseveramus: nam si tales &
ipsi fuissent, nunquam se à nobis segregassent. Ve-
rùm factum id est, inquit, ut pateret non omnes qui
ad fidem accedunt, eamque profitentur, nobis simi-
les esse. Et hunc quidem sensum verborum Ioan-
nis esse ex contextu patet, cum ideo hoc inculcet,
non ut pseudochristianos & hypocritas ad veram &
non simulatam fidem, sed eos qui iam fide illa prædi-
ti & ex Sp. S. renati erant, ad constantiam in fide
cohortetur. Vnde statim sequitur: *At vos unctio-
nem habetis à Sancto illo & nostis omnia. Non scripsi vobis
quod veritatem nesciatis, sed quoniam eam scitis. Et postea:
Quod igitur audivistis à principio in vobis maneat: si in vo-
bis manserit quod audivistis à principio, vos quoque in Filio &
Patre manebitis. Rursus: Sed unctio, quam vos accepistis
ab eo, manet in vobis, nec necesse habetis ut quisquam doceat
vos: sed sicut ipsa unctio docet vos de omnibus, & verax est,
& non est mendax, & sicut docuit vos, manete in ea. Et
nunc, filioli, manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fidu-
ciam & non pudeamus ab eo in adventu eius.* Hæc Ioan-
nes. Vnde non tam fidem pseudoapostolis illis quam
constantiam fidei defuisse significat, vel id certè do-
cet, etiam eos qui sincera fide præditi & unguento
gratiæ Sp. S. delibuti toti sunt, ab illis seduci & ab ec-
clesia egredi posse, nisi constanter in ea fide quam se-
mel acceperunt perseverent. Nec aliud hîc S. Ioannes
indicat, cum ait: *Non erant ex nobis; nam si fuissent ex
nobis, mansissent utique nobiscum, quàm quod Paullus
Hebr. x. 38 dicit: Iustus ex fide vivet. At si quis se subdu-*
xerit, non probat eum animus meus. At nos non ij sumus qui
nos

nos subducamus ad exitium, sed qui credamus ad animæ salutem.

XIII. 5. Objicies loca illa Rom. VIII. 38. *Persuasum mihi est, neque mortem, neque vitam, neque angelos neque principatus, neque potestates, neque presentia neque futura, neque sublimitatem neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. 1. Corinth. x. 13. Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis, sed una cum tentatione præstabit etiam exitum, ut possitis eam sufferre. Ephes. iv. 30. Ne tristate Spiritum illum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis. Et Philipp. i. 6. Persuasum habens hoc ipsum, fore ut qui cæpit in vobis opus bonum perficiat usque ad diem Iesu Christi. Si ergo res nulla separare nos à Dei caritate potest, & Deus semper una cum tentatione exitum etiam illum tentationis præstat, ut eam sufferre possimus, si per Spiritum S. obsignati sumus usque ad diem redemptionis, imò ipse Deus opus bonum, quod in nobis cæpit, id ad diem Christi, id est, æternæ salutis perficit, quomodo is quem Deus diligit, & ipse Spiritu suo obsignavit, gratia ejus excidere, tentationi ulli succumbere aut æterna salute privari potest? Resp. ut supra etiam dixi, nullam sanè vim, nullam potentiam aut aduersitatem tantam esse posse, quæ à Deo segregare ejusque præsidio eripere queat quos ipse diligit, nisi quod nulla vis aliena efficere potest, id ipsi propria lubidine faciant & peccatis suis se à Deo separent. Deus etiam omnes, quibus Spiritum suum dat, eo ita in diem redemptionis obsignat, ut sigillo illo ad æternam salutem munitos præstet, si Spiritum illum ipsi non contristent, sed deponant, quod ad pristinam conversationem at-*



sinet, vetorem illum hominem, qui de seductricibus cupiditatibus sese corrumpit, si renoventur spiritu mentis suae, & induant novum illum hominem qui, secundum Deum conditus est ad justitiam & sanctimoniam veram, si deposito mendacio loquantur veritatem quisque cum proximo suo, si alij aliorum membra sint, si ex iracundia non peccent, nec solem occidere super exacerbatione sua sinant, si locum diabolo non dent, nemini sua furto eripiant, sed manibus potius suis laborent, ut habeant quod egenis impertiant, si denique nec putris aliquis sermo ex ore eorum exeat, sed alij in alios benigni & misericordes sint, condonantes sibi mutuo offensas suas, sicut & Deus in Christo condonavit illis: nam haec omnia ibi adduntur. Quae nisi fiant, nec Spiritus ille apud eos manet, & sigillum id quo obsignati fuerant non jam Deus, sed ipsi revellunt. Sed nec Deus ullam tentationem tantam fidelibus immittit, quin vires gratiae suae simul eis suppeditet, quibus superari ea possit, nisi ipsi, dum illis non utuntur, ultrò ei succumbere malint. Idem deniq; opus bonum, quod in illis capit, paratus semper est ad finem usque perficere, sed hac lege, si nec ipsi sibi desint, sed operam per ipsius gratiam dent, ut charitas ipsorum adhuc magis & magis exundet in cognitione & omni sensu, ut explorent quae discrepant, ut sint sinceri & inoffenso cursu pergant ad diem usque Iesu Christi, repleti fructibus justitiae, qui sunt per Iesum Christum, ad gloriam ac laudem Dei: nam id etiam requiri disertè Paullus eo ipso loco statim subjicit, & ut hoc magno studio à fidelibus omnibus agatur, non monet eos tantum sed orat & obtestatur.

XIV. 6. Cum Calvino dices, sicut ipse Dei Spiritus non extinguitur, ita & fidem quam ille semel piorum cordibus insculpsit, evanescere & perire non posse,

posse, item, non posse eos salute excidere, cuius ipse
Christus fidelis custos est, nec deficere, quorum pie-
tati constantiam idem ille postulet, qui repulsam pa-
ti nequit, obstare denique huic rei decretum & pro-
missionem Dei electis factam, cui qui diffidit incre-
dulus est. Resp. primò, si per Spiritum Dei ipsam ejus
substantiam & personam intelligas, extingui ille pro-
fecto nequit: at dona ejus, ut est fides, extingui omni-
no possunt, sicut expresse scriptum est 1. Thessal. v. 91.
Spiritum non extinguite, prophetias ne pro nihilo habete.
Et extinguitur utique & evanescit ac perit fides, cum
quis ad tempus tantum credit & postea desistit, cum
à fide deficit, cum naufragium fidei facit, cum fides
ejus subvertitur, quæ omnia fieri posse supra ex scri-
pturis patuit. Deinde salute excidere possunt etiam
quorum Christus custos est, non sanè ideò, quod i-
pse fideliter eos non custodiat, aut salutem ullius
hominis, quantum in se est, ulla ex parte negligat, qui
etiam pro pereuntibus mortuus est, sed quòd multi
custodem suum, cuius fidei se semel crediderant, ipsi
postea contemnunt, & custodię ejus vel apertè nunci-
um remittunt vel alias se subducunt, idq; tum fit, cum
doctrinæ Christi, per quam custodiebantur, non au-
scultant amplius, nec præceptis ejus obtemperant.
Vndè accidit, ut etiam diligentissimè & accuratissi-
mè custoditi, nulla custodis culpa sed propria petu-
lantia in exitium præcipites ruant. Sicut autem
Christus, quantum in ipso est, fideles omnes diligen-
ter custodit, & ut constanter in fide persistant seriò
cupit, ita etiam auxilia divinæ gratiæ, per quæ ad fi-
nem usque, si velint, perseverent, ipsis à Patre suo
largiter postulat & impetrat: nec idcirco tamen o-

mnes perseverant. Causa est quod id ipsi nolint, nec idem studium ad finem usque ostendant: neque enim gratiam talem, quâ ad perseverandum sive cogantur sive necessitentur, sed per quam vires & facultatem perseverandi accipiant, ijs impetrat & concedit, cum nec alia detur, ut suo loco demonstratum est. Cæterum electos, ut electi quidem sunt, excidere gratia finaliter non posse verum est. Excidere tamen & ipsi possunt. Quod autem finaliter non excidant, in causa neutiquam id est, quod fidem & gratiam talem acceperint, quæ per se amitti non possit, sed quod Deus eos in utraque perseveraturos, vel si exciderint, in tempore ad eam redituros præviderit, non electurus eos alias, cum secundum præcognitionem electio fiat. Non ergo finaliter tales non excidunt, quod excidere non possint, sed quod Deus id aliter futurum præviderit, cuius præscientia falli non potest. Denique nec promissio aliqua Dei extat, quæ privilegium tale ulli homini in hac vita concedat, futurum ut, etiam si velit, nec à fide nec à gratia divina deficere possit. Quin contrarium, ut patuit, disertè & toties scriptura ingeminat, ut magna incredulitas sit, non si prius illud non credas, quod nusquam scriptum est, sed si posterius inficeris, quod passim & tam diligenter scriptura inculcat.

XV, 7. & postremò quæres, quomodo ergo hoc pacto certi de gratia & salute nostra esse possimus, si etiam credentes & pii à fide & pietate sua deficere, atq; si id faciant, æternum perire possint. Respondeo, nihilominus certitudinem gratiæ & salutis non tolli. Est autem ea duplex, una absoluta, altera conditionata. Et priori quidem modo de gratia

gratia ac salute pro præfenti certus est tum quisquis
à peccatis refipifcit & vera fide ad Christum confu-
git feque in gratiam recipi petit: hunc enim per fi-
dem illam in gratiam recipi & hæredem æternæ fa-
lutis fieri certum est; tum quisquis in fide illa ftat
eamque per caritatem exercet: nam qui id facit eum
in gratia Dei effe &, manere &, fi tum moriatur, vitam
æternam confequi fimiliter dubitari nequit: utrum-
que enim exprefse Scriptura docet. Ipfe etiam qui
ita refipifcit & credit, ac in fide vera & per caritatem
efficace ftat feque exercet, ferione & fine fuco ac fal-
lacia id faciat necne certo novit: *quis enim hominum
novit ea quæ funt fpiritus hominis, nifi fpiritus hominis qui
eft in eo?* inquit Paullus I. Corinth. II. II. Vnde ta-
lis pro præfenti de gratia & salute fua abfolutè cer-
tus eft. Idque eft quod Paullus rurfus ad Rom. VIII.
16. ait: *Ipfe Spiritus testatur una cum fpiritu nostro quod filij
Dei fumus.* Et S. Ioannes I. epift. V. 10. *Qui credit in
Filium Dei habet refimonium in fe ipfo.* Nec alia de cauffa
II. Corinth. ult. 5. fcriptum eft: *Vos ipfos tentate, an
fitis in fide, vos ipfos explorete, annon agnofcitis vosmetipfos,
(videlicet) Iefum Christum in vobis effe, nifi forte rejecta-
netis.* Et hoc contra Pontificios tenendum. Dein-
de & pofteriori modo etiam in futurum de salute cer-
ti fumus, nempe fi in fide & gratia perfeveremus;
nam ita & non aliter Scriptura docet. I. ad Timoth.
II. 15. *Servabitur — fi manserit in fide ac charitate & fan-*
ctificatione cum modestia. Matth. XXIV. 13. *Qui fubfiterit*
ad finem ufque is servabitur. Apoc. II. 10. *Esto fidelis ufque*
ad mortem & dabo tibi coronam vitæ. Nihil itaque certius
eft, quam salutem omnes confeuturos qui credunt
& in fide ac gratia Dei perfeverant. Sed multi id
non

non faciunt: à fide enim & gratia deficiunt: quare non absoluta hæc est certitudo, ut prior, sed conditionata. Eodem modo de perseverantia illa certifimus: nullum enim omninò dubium est, quin Deus qui incepit in nobis opus bonum, idem id ad diem Iesu Christi perfecturus sit, sed ita, si & nos operamudemus, ut per ipsius gratiam sinceri simus & inoffenso cursu pergamus ad illum usque diem, sicut jam jam Paullus docebat. Vnde & Rom. xi. 20. ait: *Tu per fidem stas (in Dei gratia,) ne effertor animo sed metue: nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, (vide) ne & tibi non parcat. Vide igitur benignitatem ac præcisam severitatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, præcisam severitatem, in te verò benignitatem, si permanseris in benignitate, alioquin & tu excideris.* Et Hebr. iii. 14. *Christi consortes facti sumus, si modo principium illud, quo sustentamur, firmum retinuerimus ad finem usque.* Nemo ergò benignitate Dei privabitur quisquis semel eam consecutus est, si ipse modo in benignitate illa permaneat, nec à Christi consortio segregabitur unquam, si principium illud quo sustentatur, firmum usque ad finem retinuerit. Quapropter qui sibi videtur stare ei videndum est ne cadat, vigilandum item & viriliter agendum, videndum, inquam, ne quando sit in ullo ex nobis cor malum incredulum, quod desciscat à Deo vivo, sed exhortemur alij alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex nobis induretur seductione peccati, imò observemus alij alios, ut nos acuamus ad caritatem & bona opera, prospicientes ne quis deficiat à gratia Dei, ne qua radix amara suppullulans obturbet, & per hæc polluantur multi, sed ut unusquisque nostrum idem studium ad finem usque ostendat, ad

ad certam spei persuasionem, ut adjiciamus fidei nostræ virtutem, virtuti notitiam, notitiæ continentiam, continentiaæ tolerantiam, tolerantiaæ pietatem, pietati fraternum amorem, huic verò caritatem, studentes vocationem & electionem nostram firmam efficere: nam si hæc fecerimus non tantum nunquam impingemus seu gratia excidemus, sed amplè etiam subministrabitur nobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Servatoris Iesu Christi. Hæc est ergò certitudo illa tum gratia tum salutis, quam S. Scriptura tradit, nulla alia. Et ita ostensum est fideles & in gratia Dei constitutos excidere à fide & gratia illa omninò posse: nunc an, ubi exciderint, locus aliquis pænitentiaæ adhuc relinquatur consideremus.

XVI. Fuerunt autem antiquitus qui id disertè negarent. Et primò quidem ex Montani dogmatibus unum hoc erat, si quis ex Christianis mœchus aut scortator factus esset, ad pænitentiam eum admittendum non esse: nam sicut aliàs ille pseudoprophetas suas severioris cum primis disciplinaæ prætextu velabat, & non tantum præter usitata ecclesiæ jejunia nova strictiora introducebat, fugam in persecutione à Christo ipso alioqui indultam improbat, & digamiam nuptiasque iteratas omnes ut scortationes traducebat: ita hac quoque in parte laudem severitatis aucupabatur. Vnde Tertullianus cum in sectam illam prolapsus esset, non tantum cætera ista ejus placita, sed hoc etiam peculiari libro propugnavit, quem de pudicitia inscripsit. Cumque inter alia nescio ob quam clericorum ecclesiæ Romanæ invidiam à veritate descivisset, sicut S. Hieronymus catal. script. in Tertulliano testatur, hac invectiva in

D

epi-

episcopum Rom. qui tum Zephyrinus erat, sententi-
am suam statim in exordio libri ita proponit: *Audio
etiam, inquit, edictum esse propositum, & quidem perempto-
rium, Pontifex scilicet Maximus, episcopus episcoporum, di-
cit: Ego & machie & fornicationis delicta penitentia fun-
ctis dimitto. O edictum cui adscribi non poterit, Bonum fa-
ctum! Et ubi proponetur liberalitas ista? Ibidem opinor in
ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis. Illic ejusmo-
di penitentia promulganda est, ubi delinquentia ipsa versa-
bitur. Illic legenda est venia, quò cum spe ejus intrabitur.
Sed hoc in ecclesia legitur & in ecclesia pronunciatum, & vir-
go est. Absit, absit à sponsa Christiane praeconium. Illa
quæ vera est, quæ pudica, quæ sancta, carebit etiam aurium
macula. Non habet quibus hoc reprobatur. Et, si habuerit,
non reprobat, quoniam & terrenum Dei templum citius
spelunca latronum appellari potuit à Domino, quàm macho-
rum & fornicatorum. Erit igitur & hic **ADVERSUS PSY-
CHICOS** titulus, adversus meæ quoque sententiæ retrò penes
illos societatem, quò magis hoc mihi in notam levitatis obje-
ctent. Hæc ibi Tertullianus, in persona episcopi &
ecclesiæ Romanæ totam Ecclesiam catholicam sub-
sannans, & psychicorum i. e. animalium nomine, ut
solet, infamans: non enim tantum illud de venia ista
in ipsis libidinum januis & titulis potiùs quàm in ec-
clesia proponenda, per contumeliam dicit, sed & i-
psum Zephyrinum non honoris sed irrisionis causa
episcopum episcoporum, & Pontificem maximum,
ethnico magis quam Christiano nomine appellat, ut
contra Card. Baronium alibi ostendimus. Non so-
lùm autem in hæc & scortatoribus nullam veniam
impertiendam esse docet, sed nec idololatriis & ho-
micidis: quin inde in hæc quoque & scortatoribus
cam*

eam denegandam esse contendit, quod idololatriæ
& homicidis non detur. *Adfistit idololatriæ, inquit,*
cap. v., adfistit homicida, in medio eorum adfistit & ma-
chus. Pariter de penitentia officio sedent in sacco, & cinere
inhorrescunt, eodem statu ingemiscunt, eisdem precibus am-
biunt, eisdem genibus exorant, eandem invocant matrem.
Quid agis mollissima & humanissima disciplina? Aut omni-
bus eis hoc esse debebis, (tâ[m] mollis scilicet & huma-
na, ut eos ad veniam admittas:) *Beati enim pacifici, aut*
si non omnibus, nostra esse. Idololatriam quidem & homici-
dam semel damnas, mæchum verò de medio excipis, idolola-
tria successorem, homicida antecessorem, utriusque collegam.
Personæ acceptatio est, miserabiliores penitentias reliquisti.
Et cap. ult. Quæcunque auctoritas, inquit, quæcunque ra-
tio mæcho & fornicatori pacem ecclesiasticam reddit, eadem
debebit & homicidæ & idololatriæ penitentibus subvenire,
ceriè negatori, & utique illi, quem in prælio confessionis tor-
mentis colluctatum sevitia dejecit. Et rursus: Urget nos
dicere indignitas, contaminata potius corpora revocabis
quam cruentata? Quæ penitentia miserabilior, titillatam
prosternens carnem, an verò laniatam? Quæ justior venia
in omnibus causis, quam voluntarius, an quam invitus pec-
cator implorat? Nemo volens negare compellitur, nemo no-
lens fornicatur. Nulla ad libidinem vis est nisi ipsa, nescit
quod libet cogi. Negationem porrò quanta compellunt inge-
nia carnificis & genera panarum? Quis magis negavit, qui
Christum vexatus, an qui delectatus amisit? qui quum aver-
teret doluit, an qui cum amitteret luserit? Hæc iterum ille.

XVII. Argumentum autem hoc adfert præ-
cipuum, quod peccata alia remissibilia, alia irremissi-
bilia sint. *Causas penitentia, inquit cap. ii. delicta con-*
dicimus. Hæc dividimus in duos exitus: alia erunt remissibi-

lia, alia irremissibilia, secundum quod nemini dubium est alia
castigationem mereri, alia damnationem. Omne delictum
aut venia expungit, aut pena, venia ex castigatione, pena ex
damnatione. Cumq; illud S. Iohannis I. ep. v. 16. attulisset: Si
quis scit fratrem suum delinquere delictum non ad mortem, postu-
labit & dabitur vita ei, quia non ad mortem delinquit. Est deli-
ctum ad mortem, non pro illo dico ut quis postulet, & prius remissi-
bile, posterius irremissibile esse dixisset, ita pergit: Secun-
dam hanc differentiam delictorum, ait, penitentia quoque con-
ditio discriminatur. Alia erit qua veniam consequi possit, in de-
licto scilicet remissibili, alia, qua consequi nullo modo possit, in
delicto scilicet irremissibili. Et cap. XIX. Sunt quadam, inquit,
delicta quotidiana incursionis, quibus omnes sumus obiecti:
cui enim non accidet aut irasci iniquè & ultra solis occasum,
aut & manum immutare, aut facile maledicere, aut temere
jurare, aut fidem pacti destruere, aut verecundia aut necessi-
tate mentiri. In negotiis, in officiis, in questu, in victu, in
visu, in auditu quanta tentamur, ut si nulla sit venia istor-
um, nemini salus competat. Horum ergo erit venia per ex-
oratore[m] Patris Christum. Sunt autem & contraria istis, ut
graviora & exitiosa, qua veniam non capiant, homicidium,
idololatria, fraus, negatio, blasphemia, utique & machia &
fornicatio, & si qua alia violatio templi Dei. Horum ultra
exorator non erit Christus, hæc non admittet omnino qui na-
tus ex Deo fuerit, non futurus Dei filius si admiserit. Hæc
ita ex S. Iohanne deducit. Et cap. XX. etiam locum ad
Hebræos VI. allegat. Mœchian autem & scortatio-
nem ad delicta irremissibilia, quæque Iohannes ad
mortem esse dicat, pertinere ita probat, primò, quod
ea non minus grandia sint, quam abnegatio, idolo-
latria & similia: nec enim, inquit cap. I. machia & for-
nicatio de medicis & medijs delictis deputabuntur, ut utrum-
que

que comperat, & sollicitudo que precaver, & securitas que indulget. Sed cum ea sint qua culmen criminum teneant, non capiunt & indulgeri quasi modica & precaveri quasi maxima. Deinde quod passim S. Scriptura & præsertim S. Paulus non tantum idololatrias pædicones & molles, sed mæchos quoq; & scortatores hæreditatem regni Dei possessuros esse neget. Quin etiam incestuosum illum, quem 1. Corinth. v. 4. ex ecclesia Corinthiorum eiecit, damnatum simpliciter ab eo & nunquam receptum existimat: nam quod 11. epist. 11. 6. scriptum est: *Sufficit eiusmodi homini ista increpatio à plurimis profecta, ut è contrario potius vos ei condonetis &c.* id non de illo, sed de aliquo ex ijs quos 1. ep. iv. 18. inflatos esse dixerat, interpretandum putat; vel ita certè Paulum uni huic fornicatori pro ratione temporis contra suum institutum ignovisse, quemadmodum idem Timotheum circumcidit, qui circumcisionem alias tollebat. Vide cap. xiv. & xvii. Similiter etiam Hymenæum & Alexandrum 1. Timoth. i. ult. traditos Satanæ dicit, non ad pænitentiam & emendationem, sed ad exitium; unde etiam quod de incestuoso additur: *ut spiritus salvus sit in die Domini Iesu,* id non de anima incestuosi sed spiritu ecclesiæ accipit, & quod de Hymenæo & Alexandro scriptum est: *ut discant non blasphemare,* illud non de ipsorum illorum emendatione sed aliorum cautione intelligit, cap. xiii.

XVIII. Hæc de delictis illis capitalibus Tertullianus censet, qui tamen ita eis veniam ab ecclesia dandam esse abnuit, ut à Deo eam impetrari posse non diffiteatur, & hoc tantum, non alio fine, pænitentiam de talibus rectè agi arbitretur: cum enim cap.

III. sibi objecisset, si ulla pænitentia venia careat frustra eam agi, id autem absurdum esse, cum de omnibus delictis pænitentia agenda sit, sic ad illud respondet: *Quantum ad illos à quibus pacem humanam consequitur, ita sic est: quantum autem ad nos, qui solum Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non frustra agetur: ad Dominum enim remissa, & illi exinde prostrata, hoc ipso magis operabitur veniam, quod eam à solo Deo exorat, quòd delicto suo humanam pacem sufficere non credit, quòd ecclesia mavult erubescere quàm communicare: adsistit enim pro foribus eius, & de nota sua exemplo ceteros admonet, & lacrimas fratrum sibi quoque advocat, & redit plusquàm negotiata, compassionem scilicet quàm communicationem. Et si pacem hinc non metit, apud Dominum seminat. Nec amittit, sed preparat fructum. Non vacabit ab emolumento, si non vacaverit ab officio. Ita nec pænitentia huiusmodi vana, nec disciplina ejusmodi dura est. Deum amba honorant, illa nihil sibi blandiendo facilius impetrabit, ista nihil sibi adsumendo plenus adjuvabit.* Ita rursus Tertullianus.

XIX. Cæterum hæc ideò pluribus exposuimus, quod quæ ille tertio ecclesiæ sæculo ineunte hac de re ex Montani & Montanistarum sententia Zephyrino ecclesiam Rom. gubernante contra mœchorum & fornicatorum pænitentiam ita disputabat, eadem postea Novatianus presbyter Rom. peculiariter de pænitentia abnegatorum contra Cornelium episcopum magno conatu adstruxit, & novam ex ijs hæresin condidit, quæ Novatianorum & Catharorum dicta est. Occasio ejus rei hæc fuit. Cum Decius imperator persecutionem Christianorum longè vehementissimam, quæ vulgo septima vocatur, excitasset, & plures, quàm unquam antea, tum acerbitate tum
lentitu-

lentitudine tormentorum moti passim fidem abne-
gassent, qui postea tranquillitate aliqua reddita in
ecclesiam denuò recipi cuperent, non tantum Cor-
nelius episcopus Rom. synodum Romæ & S. Cypri-
anus Carthagini de causa illa coëgerunt, sed per to-
tum etiam orbem accuratè de restitutione lapsorum
consultatum fuit. Cumque non tantum in synodo
Africana, ut Cyprianus epist. lxx. ad Antonianum
narrat, copiosus episcoporum numerus, quos integros & inco-
lumes fides sua & Domini tutela protexerat, in unum conve-
nisset & scripturis diu ex utraque parte prolatis temperamen-
tum salubri moderatione librassent, ut nec in totum spes com-
municationis & pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatio-
ne deficerent, & eò quod sibi ecclesia cluderetur, secuti secu-
lum gentiliter viverent, nec tamen rursus censura evangeli-
ca solveretur, ut ad communicationem temerè prosilirent, sed
traheretur diu penitentia & rogaretur dolenter paterna cle-
mentia & examinarentur cause & voluntates & necessita-
tes singulorum, sed etiam Cornelius cum plurimu coëpi-
scopis in Concilio Romano, (ut idem Cyprianus porrò
refert) in eandem cum Afris sententiam pari gravitate
& salubri moderatione consensisset, adeoque Cornelius
lapsos reciperet, Novatianus contrarium sensit, &
ita eos ad penitentiam admitti voluit, ut venia ta-
men non daretur, sed ea divino iudicio reservaretur,
defecturos in ecclesia martyres dicens, si tales com-
munioni redderentur. In pulit autem eum ad divor-
rium à Cornelio & tota ecclesia faciendum tum pro-
pria ambitio; cum enim & presbyter primarius &
confessor esset, Cornelium sibi in episcopatu prala-
tum dolebat, tum Novati episcopi Africani pessimi
hominis, qui sede adhuc vacante Romam venerat, &
ut pri-

ut pridem in Africa, ita illic etiam omnia perturba-
bat, improbitas. Nec destitit Novatianus, donec
etiam pseudoepiscopus Rom. à suis crearetur, qua
de re plura apud Cyprianum legantur: nam cæteri
& præsertim Græci scriptores Novatianum cum No-
vato confundunt: unde etiam sectatores ejus com-
muniter Novatiani dicti sunt, qui alias Novatiana-
ni essent. Sed hoc obiter.

XX. Eadem prorsus de ejus secta tradunt alij.
Euseb. lib. vi. hist. cap. xxxv. Novatus (Novatianus)
Romanae ecclesiae presbyter superbia quadam contra eos (qui
in persecutione lapsi fuerant & pænitentiam flagita-
bant,) elatus, quasi illis nulla amplius spes salutis superesset,
quantumvis omnia quæ ad veram conversionem & sinceram
confessionem pertinent, peragerent, peculiarem sectam eo-
rum, qui præ animi quodam tumore seipsos κατὰ τὸν παρὰ
dicunt primus condidit. Et in Chronico n. MMCLXVIII.
Novatus (Novatianus) hæresiarcha, presbyter Cypriani
(Cornelij) innotuit, qui eos qui in persecutione sacrificia-
rant resipiscentes non recepit. Epiphanius hæresi LIX.
Novatus cum propter eos qui in persecutione prolapsi fuerant
animi tumore elatus esset, & cum eis quos sibi adiunxerat
communicare illis nollet qui post persecutionem resipuerant,
in eam heresin incidit, ut nullam eis amplius salutem esse di-
ceret, sed unam tantum pænitentiam, μετὰ δὲ τὸ λῆστερον μηκέτι
διώκειν ἐλεῖν δὲ τὸ παρὰ τὸν πῶντα, si quis autem post baptismum
prolapsus esset nullam erga eum misericordiam amplius adhi-
beri posse. S. Hieronimus catal. script. ecclesiast.
Novatianus, Romanae urbis presbyter, adversus Cornelium
cathedram sacerdotalem conatus invadere, Novatianorum,
quod Græcè dicitur κατὰ τὸν, dogma constituit, nolens apo-
statas suscipere penitentes. Theodoretus de hæretico-
rum

rum fab. lib. iiii. Novatus (Novatianus) ecclesie Romane presbyter erat. Cumq; tempestas vehementissima in ecclesias incubuisset, accidit ut nonnulli eorum, qui in doctrina pietatis enutriti erant, post multos cruciatus aberrarent & verbis abnegarent. Hi tranquillitate reddita remedia penitentiae consequi cupiebant. Et sanè præstantissimi quique pastorum dominicam illam accusationem timendam, qua dicit: *Vae vobis pastores, quod perfractum erat non alligastis & quod aberrarat non reduxistis, & quod ceciderat, non erexistis, manumq; lapsis porrigendam & eos juxta Dominicum præceptum confirmandos esse arbitrabantur, præsertim cum etiam Dominus ad magnum Petrum dicat: Simon, Simon, Satanas petijt ut vos sicut triticum cribraret, sed ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua.* Hac consilia Novato (Novatiano) non placebant, sed contrarium assererat, μή χεῖνας λέγων ἔς ἀγνηθείας σωτηρίας τυχεῖν, dicens, non debere eos, qui negassent, salutem consequi, idemq; faciens quod illi, qui agrotantes medicorum pharmacis uti prohibent. Et rursus: Hos sermones cum audivissent episcopi, qui Romæ convenerant, persuadere ei conati sunt, ut rectiora sentientibus accederet. Postquam autem cum furere & illam Deo exosam crudelitatem stabilire viderunt, ab ecclesiastico corpore ipsum separarunt, Cornelio tum temporis Romam gubernante. Hic Novatus cum paucos & facile numerabiles in societatem hæreseos pertraxisset, in Italiam egressus tres parvorum oppidorum episcopos decepit, & tanquam pro se apud episcopum Romanum intercessuros secum duxit. At cum in vicum quendam cum illis venisset, eos ut se episcopum ordinarent cœgit, quam vim ipsi deplorarunt, cum Romam venissent & quæ facta erant narrassent. Ita miser ille ordinationem furatus, hæreseos auctor exitit, suosq; sectatores non Novatianos tantum sed & κατὰ γὰρ πuros appellavit. Socrates lib. iv. hist. eccl.

E

cles.

elef. cap. xxiii. Novatus (Novatianus) cum presbyter esset, propterea ab ecclesia Romana se segregavit, quod Cornelius episcopus fideles, qui in persecutione à Decio imperatore contra ecclesiam mota, sacrificarant, in communionem reciperet. Cumq; hac de causa separatus & ab episcopis, qui cum eo sentiebant, episcopus factus esset, universis ecclesiis scripsit, ne eos qui sacrificarant ad sacra admitterent, ἀλλὰ προτρέπειν μὲν αὐτοὺς εἰς μετάνοιαν, τὴν δὲ συγχώρησιν ἐπιτρέπειν θεῷ, τὰ δὲ διωκιδῶν καὶ ἐξοστῶν ἔχοντι συγχωρεῖν ἀμαρτήματα, sed hortarentur quidem ad penitentiam, veniam autem concessionem Deo permitterent, qui potestatem & auctoritatem peccata remittendi haberet. Et Acesius Novatianus, qui tempore Concilij Niceni fuit, cum ipse etiam ad concilium à Constantino invitatus esset, & fidem synodi prorsus approbasset, interrogatus ab imperatore, cur ergo se à communionem Ecclesie separaret, respondit, non oportere eos qui post baptismum in peccatum incidissent, quod divina scriptura ad mortem vocent, ad communionem sacrorum mysteriorum admitti. Ad penitentiam quidem eos hortandos esse, spem autem remissionis non à sacerdotibus sed à Deo expectandam, qui potestatem & auctoritatem peccata remittendi haberet, ut rursus hæc idem Socrates, ipse, ut putatur, illarum partium, narrat lib. i. cap. vii.

XXI. Hoc ergo dogma Novatiani fuit, cujus secta postea non tantum late vagata diu mansit, sed à successoribus ejus etiam aucta fuit. Epiphanius n. 3. Deinde longius illi (Cathari) ab eo (à vera doctrina) recedentes, etiam alia quadam adinvenunt: etsi enim se eandem, quam nos tenemus, fidem habere dicunt, institutis tamen nostris adherere nolunt: si quis enim post baptismum secundam uxorem duxerit, ab illis amplius non recipitur. Theodoretus: Hujus successores quadam alia dogmati ad-
jece-

jecerunt: eos enim qui ad secundas nuptias transierint à com-
munionem sacrorum pellunt. Et S. Augustinus hæresi
xxxviii. Cathari, qui se ipsos isto nomine, quasi propter mun-
diciem, superbissimè atque odiosissimè nominant, secundas
nuptias non admittunt, penitentiam denegant, Novatum
(Novatianum) sectantes hereticum: unde etiam Novatiani
appellantur. Hæc iterum illi. Sicut autem errores suos
ex schola Montani hauserant, ita etiam argumentis
ijdem ferè utebantur, & præsertim illis quæ ex Ter-
tulliano supra allata sunt: unde & S. Pacianus epist.
iii. ad Sympronianum, istius sectæ hominem, multa
eos ex Tertulliano sumfisse testatur. In prima itaque
acie verba illa Christi Matth. x. 33. collocabant: *Quis-*
quis abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum & ego
coram Patre meo, qui est in caelis, & illud Pauli ad Hebr.
vi. 4. *Fieri non potest, ut qui semel fuerint illuminati, gusta-*
verint quod donum illud caeleste — si prolapsi fuerint, de novo re-
noventur. Deinde, quod post baptismum penitere non
liceat, quod mortale peccatum ecclesia donare non possit, imò
quod ipsa pereat recipiendo peccantes; ecclesiam enim esse po-
pulum ex aqua & Spiritu S. renatum, sine negatione nominis
Christi, templum & domum Dei, columnam & stabilimen-
tum veritatis, virginem sanctam castissimis sensibus, spon-
sam Christi ex ossibus ejus & carne, non habentem maculam
neque rugam, integra evangeliorum jura servantem. Deni-
que si Deus, inquit, inquit, inquit, inquit, inquit, inquit, inquit,
sepius peccare permittit, sicut hæc pluribus apud Pacia-
num legi possunt:

XXII. Verum enim verò nec hac res stetit: nam
sicut tertio ecclesiæ seculo Deciana persecutio occasio
Novatianæ hæreseos extitit, ita ex illa, quam postea
Diocletianus circa initium quarti non minus acer-

bam instituit, Meletianum schisma enatum est. Erat
tum temporis Meletius Thebaidis in Aegypto epi-
scopus, Petro archiepiscopo Alexandrino auctorita-
te & nominis celebritate proximus. Cumque ambo
una cum multis aliis propter fidei confessionem com-
prehensi diu in vinculis detinerentur, accidit ut ex so-
ciis eorum alii quidem martyrium feliciter consum-
marent, alii vi tormentorum superati idolis sacrificarent.
Qui cum postea ad confessores & martyres ve-
nissent, & ut intercedente poenitentia misericordiam
consequerentur rogarent: (erant autem alii eorum
milites, alij ex clero, presbyteri, diaconi & similes;)
magna inter illos dissensio orta est, & Meletius qui-
dem multique cum eo recipiendos esse negabant, ne
alii qui adhuc in vinculis essent, si hos statim veniam
consecutos viderent, & ipsi contempta abnegationis
poena subverterentur. Dicebant autem expectandum
esse, donec finita persecutione justo tempore eis poe-
nitentia daretur, si modo revera poenitere & fructus
poenitentiae ostendere deprehenderentur, & tum ita
post certum intervallum eos, qui ex clero essent, in ec-
clesiam & communionem admittendos esse, ut tamen
non inter clericos locum pristinum reciperent, sed
cum populo communicarent. S. Petrus vero ad mi-
sericordiam pronior, contra orabat & obsecrabat, ut
statim reciperentur & poenitentia eis constitueretur,
ne praepudore & temporis dilatione ii qui semel ex
imbecillitate & ignavia lapsi erant, prorsus descisce-
rent, & ut juxta Scripturam *quod claudum esset non
subverteretur, sed sanaretur potius*. Verum cum Meletio
id non persuaderet, pallium in medio carcere veli
instar oppandens, per diaconum proclamari jussit,
ut ad

ut ad se concederent qui secum facerent, qui verò cum Meletio sentirent, ad Meletium irent. Ita contigit, ut scissa confessorum & martyrum multitudine major pars episcoporum presbyterorum diaconorum & cæterorum Meletio, paucissimi verò episcopi & alii Petro se adjungerent. De cætero itaq; utrique separatim tum precabantur tum reliqua sacra peragebant. Et Petrus quidem paullo post martyrium subiit, cui Alexander successit, Meletius verò cum multis aliis relegatus & ad metalla damnatus est, qui partim in carcere, partim in itinere, quocunq; veniret, episcopos presbyteros & diaconos instituit & proprias ecclesias fundavit. Et qui cum Meletio sentiebant se ecclesiam martyrum, qui verò cum Petro, ecclesiam catholicam vocabant. Meletius etiam ipse diu superstes fuit & cum Alexandro amicè vixit: nam in fide nihil diversum ab ecclesia sensit. Quin ipse est, cujus cura & diligentia perfidia Arii primum deprehensa est & Alexandro innotuit. Nec minus tamen schisma mansit & sectatores ejus Meletiani dicti, qui post ipsius obitum tandem se cum Arianis conjunxerunt & integritatem etiam fidei abjecerunt, sicut hæc omnia S. Epiphanius hæresi LXVIIII. narrat. S. Augustinus hæresi XLIIII. *Meletiani, inquit, à Meletio nuncupati, nolentes orare cum conversis i. e. eis qui in persecutione ceciderunt vel schisma fecerunt. Nunc autem dicuntur Arianis esse conjuncti.* Et hæc hæctenus: nunc quid de tota re statuendum sit breviter adjiciemus.

XXIII. Nullum autem prorsus dubium est, nos quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ejus esse baptizatos & consepultos ei per baptismum in mortem, ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Pa-

aris, ita & nos nova vita ambulemus: nam si cum eo plantati
coaluimus assimilatione mortis ejus, nimirum etiam resurre-
ctionis (assimilatione cum eo) coalescimus, illud scientes, ve-
terum illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut abo-
leatur corpus peccati, ne nos amplius seruiamus peccato, in-
quit Paullus Rom. vi. 3. Certum etiam est, hunc esse
voluntatem Dei, sanctificationem nostri, ut abstinemus a
fornicatione, ut sciat unusquisque nostrum suum vas possidere
in sanctificatione & honore, non in morbo cupiditatis, sicut
gentes quæ non nouerunt Deum, & ut ne quis opprimat & habe-
at quaestui in negotio fratrem suum: nam vindex est Dominus
omnium istorum: non enim vocauit nos Deus ad impurita-
tem, sed ad sanctificationem, ut proinde qui hoc aspernatur
non aspernetur hominem sed Deum, qui etiam dedit nobis
Spiritus suum sanctum, ut idem Apostolus I. Thessal.
iv. 3. docet. Quam severè porro & sub pœna æter-
næ damnationis omnibus fidelibus Scriptura hoc
interminetur & præsertim capitalia illa peccata, quæ
opera carnis vocat, prohibeat, supra patuit. Diser-
tè denique docet, quam periculosum sit, si ij qui ex
regno diaboli & tenebrarum semel erepti & in re-
gnum Filij Dei translati sunt, in diaboli potestatem
denuò redeant. Idque Christus ipse integra para-
bola explicat Matth. xii. 43. nam cum spiritus impurus,
inquit, exierit a quopiam, transit per arida loca, quærens
requiem, & non inuenit. Tunc dicit, Revertar domum me-
am, unde exiui. Et cum uenerit inuenit eam vacantem, ver-
sam & ornata. Tunc abit & accipit secum septem alios
spiritus improbiore quàm ipse sit, & ingressi habitant illic,
fitq; ultima conditio hominis illius deterior priore. Idem
prorsus jamjam inculcabat Petrus: nam & ipse dicit,
si postquam pollutiones mundi per agnitionem Domini & Ser-
uato-

variaris Iesu Christi effugerimus, his rursus implicati superemur, factam esse revertam nostram conditionem deteriorem priore, & melius talibus fuisse eos non cognovisse viam justitiae, quam cognita illa regredi à sancto praecepto sibi tradito, sicut canis ad vomitum aut sus loca ad volutabrum redit. S. Paulus autem ad Hebr. vi. & x. etiam eousque provehitur, ut tales ne renovari quidem ad resipiscentiam posse, nec adhuc pro peccatis eorum reliquam hostiam esse dicat, sed horrendam tantum expectationem iudicij & ignis fervorem qui eos devoraturus sit. Unde id lanè conficitur, accurate Christianis omnibus ambulandum esse & prospiciendum ne quis deficiat à gratia Dei, ne qua radix amara suppullulans obruret & per hanc polluantur multi, ne quis sit scortator aut profanus veluti Esau, qui unico edulio vendidit suum jus primogeniti, & cum postea vellet hereditario jure benedictionem assequi reprobatus est, nec reperit penitentiae locum, quamvis cum lacrimis (benedictionem) illam exquisivisset, sed ut regnum assumens quod conculci non potest, teneamus gratiam, per quam ita colamus Deum, ut ei grati simus, cum verecundia & reverentia: etenim Deus noster consumens ignis est, sicut dicitur Hebr. xii. ult. subinde illud Petri cogitantes. ep. iv. 18. Si justus vix servatur, impius & peccator ubi comparebit? Nec tamen propterea existimandum est, si quis ex statu gratiae exciderit reconciliari eum Deo amplius nullatenus posse: nam contrarium Scriptura docet.

XXIV. Et primò quidem id ostenditur testimonijs V. T. quæ omnibus peccatoribus sine discrimine veniam delictorum promittunt, si convertantur & emendentur. Esaiæ 1. 16. Lavate vos, purificate vos, amovete malignitatem actionum vestrarum ex adverso oculorum.

lorum meorum, desinite malefacere, discite benefacere, qua-
 rite jus, beate oppressum, jus dicite pupillo, suscipite causam
 vidua. Et jam venite ut disceptemus, inquit Dominus:
 si fuerint peccata vestra velut dibapha, tanquam nix exal-
 bescent, si rubra fuerint, velut coccineum, similia lanae erunt.
 Ezech. XVIII. 21. Cum improbus conversus ab omnibus
 peccatis suis quae fecit, observabit omnia statuta mea & exer-
 cebit jus & justitiam, omnino vivet & non morietur. Et cap.
 XXXIII. II. Ne vivam ego, dictum Domini Dei, si delector
 morte improbi, sed (delector) quum revertitur improbus a via
 sua, ut vivat. Revertimini, revertimini a viis vestris pessimis:
 cur enim moreremini domus Israël? Ioël. II. 12. Convertimini
 ad me ex toto animo vestro & jejuniis & fletu & planctu, lace-
 rate corda vestra ac non vestes vestras & revertimini ad Do-
 minum Deum vestrum, quia graciosus & misericors est, longani-
 mis & amplius benignitate & quem panitet mali. Zach. I. 3. Sic
 ait Dominus exercituum: Revertimini ad me dictum Domi-
 ni exercituum & revertar ad vos, ait Dominus exercituum.
 Eadem alibi passim reperias. Si autem omnibus o-
 mnino peccatoribus, qui convertuntur, venia pro-
 mittitur, cur nos eos discriminemus quos Scriptura
 non discriminat? Nec dici cum Tertulliano potest,
 in V. T. id hominum imbecillitati datum fuisse, ut
 non semel sed saepius reciperentur, in Novo autem, &
 praesertim ex quo post Christi ascensionem Spiritus
 S. gratia tam copiose in omnes effusa est, longè exacti-
 orem disciplinam sancitam esse, ita ut semel & in ba-
 ptismo tantum magnis criminibus indulgentia de-
 tur, post ordinariè non detur: nec enim id ab Apo-
 stolis usquam scriptum est, sed a pseudopropheta
 Montano primum traditum.

XXV. Deinde probatur testimoniis N. T. Sic
 Chri-

Christus ipse Apoc. 11, 5. angelum Ephesinæ ecclesiæ ad pœnitentiam hortatur: *Memor esto, inquit, unde excideris & resipisce & priora opera facito; sin minus, veniam adversum te citò & movebo candelabrum tuum à loco suo, nisi resipueris.* Et cap. 111. 14. ad angelum ecclesiæ Laodicensium ait: *Dicis, dives sum & ditatus sum, & nulla re mihi est opus, neque nosti te esse erumnesum & miserabilem & pauperem & cecum & nudum. Consilium do tibi, ut emas à me aurum igni exploratum, ut dives fias, & vestimenta alba, ut induaris, nec manifesta fiat pudèda nuditas tua, & collyrio ungas oculos tuos, ut videas. Ego quoscunq; amo arguo & castigo. Ferve igitur & resipisce.* Uterq; hic Christianus erat, imò ecclesiæ episcopus, & gratia Christi exciderat. Et tamen veniã ijs Servator ipse promittit, si resipiscant & priora opera faciant. Si dixeris, utrumq; vel alterum certè horum ex imbecillitate tantū lapsus esse, audiat Paullus II. Cor. XII. 20. *Metuo, inquit, ne me, postquã iterum venero, deprimat Deus meus apud vos, & lugeam multos eorum qui ante peccarunt, nec resipuerunt super impuritate & scortatione & lascivia quam patravũt.* Metuere se dicit ne lugere cogatur eos qui impuritati & scortationi & lasciviæ se tradiderãt, idq; ideò quod super impuritate & peccatis suis non resipuerint, expressè significans, etiã Christianis & baptizatis, quales Corinthij erant, resipiscentiam in tantis criminibus adhuc dari.

XXVI. Tertiò manifesta ejus rei exempla ex utroque fædere in promptu sunt. Certè David in tanta apud Deum gratia erat, ut in majori vix quisquam alius vel tum vel postea fuerit. Et tamen cum adulterium & homicidium perpetrasset veniam ab eo consecutus est. S. Petrus non solum baptizatus, sed tot annis Christi discipulus, imò totiùs chori Aposto-

F

lici

lici antesignanus erat, cum magistrum suum abnegaret. Nec minus tamen, cum resipisceret, Christus non tantum eum in gratiam recepit, sed in pristinum Apostolatus locum restituit, ei que oves suas tam diligenter commendavit Ioan. xxi. 15. Scortator autem ille, quem Paulus I. Corinth. v. 5. tradi Satanæ jubet, eiusmodi scortatione, quæ ne inter gentes quidem tum nominabatur, se contaminarat, adeo ut uxorem patris haberet. Nec tamen ita eum Satanæ tradit, ut spem salutis ei absolutè præcidat, sed *ad exitium carnis*, inquit, *ut spiritus salvus sit in die Domini*. Eundem etiam postea, cum tota ecclesia Corinthiorum in illum insurrexisset, tantumque *studium, indignationem, zelum & vindicationem* in homine increpando & à se segregando demonstrasset, ut metus esset *ne redundante tristitia absorberetur*, non ipse tantum recepit & *in conspectu*, ut loquitur, *Christi ei condonavit*, sed ut idem Corinthij facerent, imò ut *charitate eum* deinceps *completerentur & consolarentur* etiam, mandavit, sicut hæc ex I. Corinth. ii. 7. & c. vii. ii. constat. Nec fieri potest, ut hic non de scortatore illo sed inflatorum aliquo, quorum I. Corinth. iv. 18. mentio fit, sermo sit: nam inflati illi plures erant, hic unus tantum est, illos ipse Paullus coràm se retusurum dixerat, hunc à Corinthijs statim puniri iusserat, is etiam, cui hic condonatur, injuriam alteri fecerat, & alter ab eo acceperat, ut expressè cap. vii. comm. ii. scribitur, quod rursus incesto illi, non inflato, convenit. Denique Hymeneus quoque & Alexander, cum *expulsa bona conscientia naufragium fidei fecissent*, à Paulo similiter traditi sunt Satanæ, non ad exitium sed emendationem: *quos tradidi Satanæ*, inquit, *ut castigati discant non blasphemare,*
ipsi

ipsi sc. qui id haftenus fecerant: nam de illis ipsis non de alijs hoc addi manifestum est.

XXVII. Quartò confirmatur id optimo hoc argumento, quod à Catholicis jam olim usurpari solitum ipse Tertull. sibi supra objiciebat. Si uilla pænitentia est, quæ simpliciter venia caret, non est ea agenda: frustra enim agitur. At absurdum est posterius; rectè enim de omni peccato pænitentia agitur. E. & prius. Et sanè frustra pænitentiam illam agi quæ omni fructu veniæ caret, imò ad eam frustra homines invitari & eo pacto ad desperationem potius adigi per se patet, & pulchrè S. Cyprianus ep. LII. ad Antonianum ostendit. *O frustranda fraternitatis irrisio, inquit, ô miserorum lamentantium caduca deceptio, ô hæretica institutionis inefficax & vana traditio; hortari ad satisfactionis pænitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam; dicere fratribus nostris, plange & lacrymas funde, & diebus ac noctibus ingemisce, & pro ablundo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare, sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris, quacunque ad pacem pertinent facies, sed nullam pacem, quam quaris, accipies. Quis non statim pereat? quis non ipsa desperatione deficiat? Quis non animam suam à proposito lamentationis avertat? Operari tu putas rusticum posse, si dixeris: agrum peritiam omni rusticitatis exerce, culturis diligenter insiste: sed nullam messem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliuerti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes? Vel si ci, cui dominium est, usum nauium suadeas, dicas: Materiam de excellentibus syluis mercare frater; carinam prevalidis & electis roboribus intexe, clavo, funibus, velis ut fabricetur atque armetur navis, operare: sed cum hæc feceris fructum de actibus eius & cursibus non videbis? Præcludere (hoc) est atque ab-*

scindere iter doloris ac penitendi viam, ut cum in scripturis
Dominus Deus revertentibus ad se & penitentibus blandia-
tur; nostra duritia & crudelitate, dum fructus penitentiae in-
tercipitur, penitentia ipsa tollatur. Hæc Cyprianus. Et
certè ita, ut dicit, tum fiebat: sic enim paullo superi-
us scribit: *Horum (libellaticorum) si penitentiam respua-*
mus (ad veniam impetrandam non admittamus) ha-
bentium aliquam fiduciam tolerabilis conscientia, statim cum
uxore, cum liberis, quos incolumes reservaverant, in heresim
vel schisma diabolo invitante rapiuntur, & adscribetur no-
bis in die iudicij, nec ovem sauciam curasse, & propter unam
sauciam multas integras perdidisse. Et cum Dominus reli-
ctis nonaginta novem sanis unam errantem & lassam quæsie-
rit, & inventam humeris suis ipse portaverit; nos non tan-
tum non queramus lapsos, sed & venientes arceamus? Et
lib. ad Novatianum ita de Novatiano ipso habet:
Multos ex fratribus nostris miserrimos falsis suis adversatio-
nibus perterritos iterum fecit ethnicos, dicendo quod peniten-
ria lapsorum sit vana nec possit eis proficere ad salutem. Ha-
tenus Cyprianus. Aliter & brevius id S. Pacianus
ep. i. sic probat: *Nunquam, inquit, Deus non penitenti*
comminaretur, nisi ignosceret penitenti. Si dicas: Solus
hoc Deus poterit, statim sic respondet: Verum est:
sed & quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam
quid est illud quod Apostolis dicit: Quæ ligaveritis in terris,
ligata erunt & in celis: Et quæcunque solveritis in ter-
ris, soluta erunt & in celis? Cur hoc, si ligare hominibus
ac solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis li-
cet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum sanctum dare
solis, & solis gentium peccata purgare, quia totum hoc non
alijs quam Apostolis imperatum est. Quod si uno in loco, &
resolutio vinculorum & sacramenti potestas datur, aut totum
ad nos

ad nos ex Apostolorum forma & potestate deductum est, aut
nec illud ex decretis relaxatum est. Ego, inquit, fundamen-
tum posui, alius autem superedificat. Hoc ergo superedifica-
mus, quod Apostolorum doctrina fundavit.

XXVIII. Quintò & postremò pro hac senten-
tia totius antiquæ & catholicæ ecclesiæ consensus mi-
litat. Probatum hoc inde, quod ea non Montanum
tantum sed Novatianum etiam, qui contrarium as-
serebant, & hunc quidem ob nullam aliam, quàm
hanc ipsam causam, pro manifestis hæreticis ha-
buerit, ipsaque lapsos, si resipiscerent, semper rece-
perit: id enim non solum ex ijs quæ suprâ de Nova-
tiano ex multis catholicis auctoribus commemorata
sunt, sed ex ipso quoque Tertulliano patet, quippe
qui, dum pro suo errore contra omnes, ut ipse vocat,
Psychicos & Montanici paracleti contemtores di-
sputat, totam ecclesiam aliud sensisse apertè osten-
dat: nam non pars ejus aliqua magna aut parva, sed
tota illa prophetias Montani rejecit, & aliàs etiam
Tertullianus psychicorum nomine catholicos omnes
designat. Tantum fallit vel fallitur, cum eos nec ido-
lolaris nec homicidis, sed solis scortatoribus & mœ-
chis pænitentiam dedisse affirmat. Huc accedit,
quod Novatianos ecclesiæ catholicæ auctoritatem
eiusque impugnasse accepimus, ut nec nomen catho-
lici ferrent, sub Apostolis id non fuisse nomenque
Christianorum sufficere dicitantes, ut ex epistola
Paciani discitur. Quorsum autem hoc? nisi ca-
tholicæ ecclesiæ præjudicio causam suam vehemen-
ter gravari imò totam jugulari norant?

XXIX. Ad objectiones suprâ allatas sic re-
spondetur. Et ad locum quidem Matth, x. *Quisquis*
me ab-

me abnegaverit coram hominibus &c. i. item ad Corinthi. VI. Ne errate, neque scortatores, neque idololatra, neq; mœchi — regni Dei hereditatem possidebunt, & similes, dicitur, ita omninò fore, sed si non desistant & impænitentes sint, non si desistant & pænitentiam agant, cum Petrus quoque abnegaverit & David adulterium ac homicidium commiserit & ambo tamen salvati sint, quia pænitentiam egerunt, & quod peccarant emendarunt. Non vis facere fidelem, inquit Pacianus ep. III. quod Petrus fecit? non vis prodesse nobis quod Petro profuit? Et certè de avaris, ebriosis & maledicis simul dictum est. Responde frater, an nullus ejusmodi vestra pace teneatur? Hæc rursus ille. Nec dubium est, si Paulus idololatriis mœchis & adulteris post baptismum spem omnem salutis simpliciter præcidit, dum eos hæredes regni Dei futuros esse negat, non illos tantum, sed avaros insuper, injustos, & ebriosos, imò omnes Christianos, qui in inimicitijs, litibus, æmulationibus, rixis, diffidijs aut comestationibus unquam vixerunt, à pænitentia sacramento arcendos esse, quod absurdum est. Hæc ergò difficultatem non habent.

XXX. Major in loco ad Hebr. VI. nodus est, cui alter cap. X. & ille etiam I. Ioan. V. prorsus pariant. Undè variè exponitur. Et fuerunt qui Paullum non de hoc sed futuro tantum seculo loqui putarent, quasi id velit, qui prolabuntur & hic pænitentiam non agunt, eos frustra eam in altera vita requisituros. Ita Petrum Lombardum & Hugonem Victorinum q. LXI. in epist. ad Hebr. sentire Cornelius Cornelij ad h. l. testatur. Sed hæc opinio prorsus improbabilis est. S. Chrysostomus itaq; Theodoretus, Theophylactus, S. Hieronymus lib. II. contra Iovinianum & omnes pro-

pemo-

pemodum veteres de baptismo & ea quæ per illum fit renovatione verba ista accipiunt, ut non de quavis pænitentia sed tali qua per baptismum à peccatis abluimur, Apostolum loqui existiment. Et sanè jam paulò anteresipiscentiæ ejus quæ cum baptismo conjuncta est meminerat, eoq; vox etiam renovationis spectare videtur, cum baptismus lavacrum renovationis sit, & idem à principio ecclesiæ *Φωτισμός* illuminatio appellatus. Sed quia etiam hæc expositio proposito Apostoli non usq; quaq; quadrat, nos cum Anselmo, Nicolao Lirano & Dionysio Carthusiano non de baptismo sed simpliciter de pænitentia intelligim⁹. Nec tamen Paullus vel hic vel cap. x. de quovis etiam gravi peccato, sed tantum de gravissimo omnium i. e. voluntaria & plenaria à fide apostasia loquitur, ut quum quis ultrò à doctrina Christiana ad ethnicismum vel iudaismum redit. Nec de alio sine dubio S. Joanni sermo est. Et tales ad resipiscentiam denuò renovari non posse, nec pro eis victimã aliquam superesse, eodem prorsus modo Paullus asserit, quo Christus ipse blasphemiam in Sp. S. remitti posse negat Matth. xii. 31. & Marci iii. 29. Impossibile autem id dicit, non tam quod absolute tale sit & nullo modo fieri possit, sed quod rarò & difficulter fiat, sic ut rursus Christus Matth. xix. 23. nunc impossibile esse inquit, ut dives in regnum Dei intret, nunc difficulter id fieri. Et S. Ioannes etiam ita verba temperat, ut non simpliciter dicat, pro talibus orandum non esse, sed sic: *Non dico, ut pro eo quis roget, i. e. vereor ne frustra oret, quia tales rarò & difficulter convertuntur.* Hæc de locis Scripturæ.

XXXI Ad argumentum verò, quod Christianos omnes cum semel ex Deo renati sunt, sanctè cumprimis

mis deinceps vivere & peccata contra conscientiam i-
ta cavere oporteat, ut pænitentia tali opus non sit, ita e-
gregiè S. Pacianus ep. i. respondet: De pænitentia verò, in-
quit, Deus præstet ut nullis fidelib⁹ necessaria sit, nemo post sacri-
fontis auxilium, foveam mortis incurrat, nec tarda solamina
ingerere sacerdotes aut docere cogantur, ne peccandi iter aperi-
ant dum peccanti remedijs blandiuntur. Sed nos hanc indulgen-
tiam Dei nostri, miseris, non beatis, nec ante peccatum, sed post
peccata detegimus, nec sanis medicinam, sed à malè habentibus
nunciamus. Si nihil in baptizatos possunt nequitie spirituales, ni-
hil fraus illa serpentis qua primum subvertit hominem, qua po-
steris eius tot titulos damnationis impressit, si recessit à mundo, si
regitare jam capimus, si nullum oculis, nullum manibus, nullum
mentibus nostris crimen obrèpit: abijciatur hoc Dei donum, re-
pellatur auxilium, nulla exomologesis, nulli gemitus audiantur,
contemnat omne remedium superba justitia. Quòd si hac homi-
ni suo Dominus providit, si idem stantibus præmia, qui jacentibus
remedia largitus est, desinite divinam accusare pietatem, aut
tot caelestis clementia titulos obiectu rigoris eradere, aut gratui-
ta Domini bona inobsecrabili asperitate prohibere. Hæc ille. Si
dicas, quem Deus sæpiùs pænitere jubet, huic etiam ut
sæpiùs peccet permitti, ita idem epist. iii. respõdet: Quid
ais? Ergò qui sæpiùs remedium criminis monstrat, crimen osten-
dit, & medicus ille cum curat, assiduè vulnerari docet. Deus nec
peccare vult hominem semel, & tamen liberat à peccato. Nec u-
tiq; cum liberat, peccatum docet, sicut nec qui ab incendio libe-
rat, incendium monstrat, nec qui naufragum eripit scopulis, in
saxa compellit. Aliud est de periculo liberari; aliud ad periculum
cogi. Et fortasse paterer hoc credi, si pænitentia delicia putaren-
tur, cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur,
cui iuges lachryma, cui gemitus sempiterni. Voleat ergò ille
sanatus iterum se secari, rursus exuri? Voleat peccare iterum &
iterum pænitere, cum scriptum sit, Noli adijcere peccatum, ne
quid tibi det erius contingat? Et de his hætenus.

01 A 6520

ULB Halle


3


002 937 220



V. 17







DISSERTATIONVM THEOLOGICARVM DECIMA

De
**POENITENTIA
LAPSORVM.**

SECTIO I.

An fidelis & iustificatus gratia Dei excidere & per pœnitentiam in eam restitui possit.

QVAM

DIVINO NUMINE ADSPIRANTE,

P R A E S I D E

**CONRADO HORNEIO
S. THEOL. DOCTORE ET IN
ILL. ACAD. IVLIA PROFESSORE
ORDINARIO,**

PRID. EID. DECEMBR.

PUBLICICE DEFENDET

**ALBERTVS REIMARVS
LVBECENSIS.**

HELMÆSTADI,

Excudit HENNINGVS MULLERVS Acad. typ.

ANNO MDCCXL.



*Valentinus Bernh.
Mylius.*